



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

138. An si quis matrimonium contrahat ante dispensationis notitiam, sit validum? Et docetur, quando nempe dispensationis notitiam, sit validum?  
Et docetur, quando nempe dispensatio censetur suum ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)



RESOL. CXXXVII.

An deor casus, ut Episcopus possit dispensare cum diuitibus si per impedimento aliquo dirimuntur, ex illo capite, quod non pateat aditus ad Pontificem: Ex part. 8. tr. 3. Ref. 96.

1. Sicut dictum, in aliquibus casibus posse Episcopum dispensare in impedimentis dirimendis. Hoc supposito, videtur, negativè respondendum ex his quæ docet Averla disp. 19. sect. 2. ubi sic ait. Designari solet huiusmodi casus magne necessitatis, quando contractum iam sit publicè matrimonium cum occulto impedimento dirimente, & non possint tales coniuges separari, quia ex separatione sequeretur magna damna, & scandala. Vbi sane manifestè apparet necessitas obtinendi dispensationem, & convalidandi matrimonium. Designatur etiam vltimum casus quo non pateat aditus ad Pontificem, quando coniuges propter inopiam non possunt facere expensas conuenientes ad imperandam dispensationem à Pontifice: sed ut aliqui dubitent, num in diuitibus possit etiam occurrere talis difficultas ad eundem Pontificem, hinc procurandi ab illo dispensationem. Ita ille.

2. Sed contractum docet Baunius in Theolog. moralium. tract. 12. de impediment. Matrimon. q. 1. ubi ita ait. Quarta conditio est, ut ad Pontificem, aut alium, cui dispensandi ius ac potestas eius concessione competat, non sit accessus facilis, ob coniugum paupertatem, loci distantiam, aut causam similem, quæ eos Romam ire, aut eò mittere non auit.

3. Quid si contrahentes claris sunt orti parentibus, quid si sunt diuites, proindeque necessariis non destituti commeatibus ad Romanum iter?

Respondeo, Episcopum dispensare posse non secus, si res si locus, si necessitas, eaque grauis, id exigunt, nempe, quia Roma longè abest, quia infesta sunt intra latrocinis, consequenter intuta, periculosas, postremò, quia longa mora, reditque nunquam ex vrbè coniugum periclitatur Continentia, nam si cum paupere humaniter ac benignè potest Episcopus agere, cum eo dispensando in impedimento, quod in eius coniugio, quia ei non est facile super eo Papæ consulere, quid eum prohibet pari erga diuitem benignitate uti, quando ratione necessitatis, vigentisque periculi in mora, recurrere ei ad Papam non licet; Hæc Baunius, cui libenter adhaereo.

RESOL. CXXXVIII.

An si quis matrimonium contrahat ante dispensationis notitiam, sit validum? Et debeat, quando tempore dispensatio cesserit suum effectum operari, an a die sua concessionis, vel à die notitiæ, & receptionis, & acceptationis: Ex part. 8. tr. 3. Ref. 88.

1. Responso huius difficultatis pendet ex illa questione, quando nempe dispensatio censetur suum effectum operari, à die ne concessionis, an a die notitiæ & acceptationis: Cum enim dispense actio sit quædam concessio, seu licentia à superiore facta, cumque illa multo tempore ante à superiore obtineri possit, quam innotescat, & acceptetur ab inferiori, non leuè dubium emergit, an suum effectum incipiat operari statim atque à superiore obtinetur

an potius postquam illa dispensatio innotuit, absque eo acceptata sit.

2. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est dispensationem per se suum effectum non operari nisi postquam fuerit nota & accepta ab ipso dispensando. Ratio est; quoniam dispensatio per se est, relaxatio à lege adhuc vigente, & obligante: ergo ut licitè suum effectum operari valeat, debet esse nota ipsi dispensando. Antecedens constat ex dictis. Consequentia probatur; nam quomodo dispensando superioris dispensatio non innotescit, non est ei licitum contra legem agere, igitur ante notitiam dispensationis nequit dispensatio suum effectum operari. Consequentia probatur; quoniam effectus dispensationis est, licitus vsus contra legem vim obligandi habentem; igitur si ante dispensationis notitiam nequit esse licitus vsus contra legem vim obligandi habentem, non poterit ante talem notitiam dispensatio suum effectum in dispensando operari.

3. Confirmatur; quia non est de superiore præsumendum, quòd velit subditum à legis obligatione eximere, nisi quando tuta conscientia & absque peccato potest contra illam agere. Atqui non potest tuta conscientia, & absque peccato contra illam agere, nisi post dispensationis notitiam, cum ante talem notitiam lex alteri in conscientia subditi obtineat suam vim obligandi. Hinc sit, vt si Paulus, v. g. in sacris constitutus matrimonium contrahat cum Catharina ante dispensationis notitiam, matrimonium sit nullum, defectu voluntatis dispensatoris, qui non presumitur velle suam dispensationem valorem contra legem habere, antequam ipsius notitia ad dispensandum perueniat.

Itaque ex dictis negativè respondendum videtur ad propositam questionem. Et hæc omnia docet P. Amicus tom. 5. disp. 6. sect. 1. numer. 11. 12. & 13.

RESOL. CXXXIX.

An dispensationes valeant ante literarum expeditionem? Et inferatur dispensationes, & alias gratias non expirare mortuo Pontifice ante earum expeditionem. Et an sola probabilis coniectura de obtenta dispensatione sufficiat ad validitatem, & honestatem actus. Ex part. 8. tr. 3. Ref. 84.

1. Respondeo primò, quod gratiæ ad suam valorem, seu substantiam non indigent literarum expeditione, Hanc sententiam defendunt communiter Doctores, gloss. in Clem. Dudum, de sepulchris. Abbas cap. in nostra, num. 11. de rescriptis, Ripa responso 13. n. 4. de rescriptis Molina tomo de iust. disp. 599. n. 1. Sayo de penitentia, cap. 12. n. 3. sine & alij Probatur primò ex Clement. Dudum de sepulchris, ubi hæc omnia valida esse dicuntur, vniuersa priuilegia, gratias, vel indulgentias verbo vel scripto seu quocumque forma Secundo probatur, quia gratia est quæ à liberali donatione, hæc autem eo ipso quòd sit, est in se perfecta, non indiget aliquo scripturæ instrumeto; ergo gratiæ literarum expeditione non egent; hæc autem conclusio ita vniuersaliter, & absolute vera esse debet, vt nulla prorsus egeat limitatione, aut moderatioe.

2. Respondeo Secundo, quòd dispensatio non prodest, neque vim habet in foro externo, si literæ non expediuntur, postquàm tamen expeditæ sunt retrorahantur, & profunt à puncto concessionis, & vim habet, etiam si super eum literæ expediuntur mortuo iam Summo Pontifice, qui eas concessit. Ita

Sup. hoc lege doctrinâ Ref. 84.

LA N A E  
O m n i a  
O. III. IV. V  
E. III